

Georg Heinrich Häberlin    Johann Wilhelm Baumann


## **Fasciculus Myrrhae**

Tubingae: Rommeius, 1690

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746972520>**


Druck    Freier  Zugang









31.  
3. 2  
4. 24  
5. 20  
6. 31  
7. 2  
8. 2  
9. 1  
10. 39  
11. 4  
12. 4  
13. 4  
14. 43  
15. 4  
16. 4  
17. 4





- 31
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17



13.

Q. B. V. D.

# FASCICULUS MYRRHÆ,

EX

Canō. I. v. 13.

Repræsentatus

&

Ad disputandum propositus

DEO FAVENTE

PRÆSIDE

*Viro admodum Reverendo, Dignissimo atq;  
Excellentissimo*

DN. GEORGIO HENRICO

HÆBERLINO, SS. Theol. D. ejus-  
demque Prof. Publ. & Illustris Stipendii Su-  
perattendente Gravissimo,

*Respondente*

JOHANNE WILHELMO BAUMANNO,  
Lendfidelio-Franco,

*In Aula Nova, ad & Majis,*

TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMEII,

Anno M<sup>d</sup>. DC. LXXX.

31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50

V I R I S

*Per Reverendo, Pranobilibus, Experientissimo,  
Spectatissimis*

DN. JOH. CHRISTOPHORO BAU-  
MANN O, Ecclesiæ Lendsidelenfis Pastori vigilantissimo.

DN. GEORGIO HENRICO BAU-  
MANN O, Civitatis Neolithensis in Comitatu Hohen-  
loico Præfecto Amplissimo.

DN. GEORGIO FRIDERICO BAU-  
MANN O, Medicinæ Doctori, & in Libera Imperiali Hal-  
Suevorum Practico felicissimo.

DN. GEORGIO ANDREÆ BAU-  
MANN O, Illustr. Dnn. à Creilsheim Procuratori in Mohr-  
stein perindustrio.

DN. JOH. WILHELMO PFIZIO,  
Poligrapho & Registratori Waldenburgensi meritissimo.

*Parenti, Patruis, & Avunculo obsequiosè  
semper colendis,*

Specimen hoc Academicum,

in

Beneficiorum collatorum memoriam,

Humillimum venerationis cultum,


&

Felicitatis omnigenæ perenne votum,

ea, qua par est, submissione

*offert ac dedicat*

JOH. WILH. BAUMANN,  
Lend. Fr. SS. Th. Stud.



Σ. Θ.

**P**assionem & mortem Salvatoris nostri tum ab Evangelistis descriptam, tum à Prophetis V. T. prænunciatam per tempus quadregimale nuperrimè elapsum in singulis ferè conventibus sacris è suggestu audivimus. Non abs re igitur erit, de iisdem fidei nostræ mysteriis e Cathedra Scholastica agere, eo more ac modo, qui ejusmodi loco congruit. Selegimus verò Oraculum V. T. Cant. 1. ψ. 13. sæpius quidem allegari solitum, sed ita comparatum, ut nisi accuratè juxta analogiam Scripturæ & fidei pensitetur, vix ac ne vix quidem genuinus ejus sensus indagari queat. Ita autem progrediemur, ut ob temporis & chartæ angustiam prætermittis sinistrè sentientium opinionibus, de ipsa veritate solliciti simus, cui conatui Salvator ipse faveat.

§. I.

Verba Oraculi in fonte sic habent :

צָרוּר הַמּוֹר הָרָרִי לִי בֵּין שְׁדֵי גִלְוִן

Vulgatus ita reddit :

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commemorabitur.

Junius & Tremellius :

Est amicus meus mihi ut fasciculus myrrhinus, inter ubera mea pernoctans.

II.

Antequam ad expositionem singularum vocum progrediamur, supponimus tanquam certum, & apud rectè sentientes, Orthodoxos

A 2

impri-

imprimis, indubitatum, quod Canticum Salomonis, è quo verba ista desumpta sunt, in sensu literalì à Sp. Sancto proximè & immediatè intento non agat de amoribus Salomonis & Sponsæ ejus Regis Ægypti filia, uti quidem cum Rabbiniis quibusdam statuit Hugo Grotius, nec præcisè vel unicè de amore Dei erga populum Israeliticum, ut plerique Judæi, præprimis antiquiores, volunt, sed potius de amore Christi Salvatoris & Ecclesiæ ejus, quam Sanguine suo acquisivit. Id enim præter unanimum consensum veterum & recentiorum Ecclesiæ Doctorum, exigit ac evincit tum Sponsi commendatio, qui Rex vocatur. Cap. 1. v. 4. 12. & Pastor, cap. 1. v. 7. quod ne utique Salomoni, benè tamen Christo, convenit, considerato in munere suo mediatorio, in quo Rex & Pastor est. Psal. 2. v. 6. Johan. 10. v. 11. tum Sponsæ descriptio, quæ non Regina solùm appellatur, sed & custos vineæ. cap. 1. v. 6. & pascere dicitur capellas suas. cap. 1. v. 8. & percuti à vigilibus civitatis ac vulnerari pallioque privari, cap. 5. v. 6. quæ nequaquam uxori Salomonis, benè tamen Ecclesiæ Christi conveniunt, consideratæ quoad officium & quoad fata sua; tum pulchritudinis Sponsæ delineatio, v. gr. quoad caput, nasum, oculos, dentes, collum, mammas, ventrem, quæ si sensu corporali acciperentur, insignem potius deformitatem, quam pulchritudinem inferrent, ut singula consideranti patebit; tum denique quia Spiritus Sanctus unionem Christi & Ecclesiæ mysticam passim sub imagine matrimonii & amorum conjugalium repræsentat, Psal. 68. v. 13. Esa. 54. v. 5. cap. 61. v. 10. cap. 62. v. 4. 5. Hof. 2. v. 16. 19. Matth. 9. v. 15. cap. 25. v. 1. Eph. 5. v. 23. 25. 31. 32. Apoc. 19. v. 7. &c. &c. Unde hoc supposito, & parallelismo Scripturæ fideique analogiâ in subsidium vocatis, quod primâ fronte per obscurum valdeque intricatum videri potest in hoc Cantico, industriò sacrarum literarum scrutatori sensim sensimque adeo facile fit & pervium, ut quod alibi citra velum & corticem plane & perspicue expressum novit, hic sub suavi metaphoræ involucro latens inveniatur, in simulque admirabilem fidei veterum cum fide Christiana harmoniam observare possit. Et in hac sententia veteres quoque Judæos fuisse dubitare nos non sit auctoritas Targum seu Paraphraseos Chaldaicæ, quæ apud Judæos magna est. Expresse enim ab initio libri hujus Salomonem Prophetam appellat, & librum hunc Spiritu Prophetico ab ipso scriptum esse asserit.

ferit, his verbis: *Cantica & laudes, quæ dixit Solomon נביא* Prophetæ *Rex Israel נבואה ברוח* per Spiritum Propheticum coram Domino *dominatore totius Seculi.* His præmissis verba sponsæ sponsum commendantis considerabimus.

III.

Fasciculus) heb. צָרוּר à צָרַר, ligavit, arctavit, colligavit; unde vertitur: ligamen, fasciculus, loculus, in quo aliquid ligatur & confringitur, ita legitur Gen. 42. v. 35. *Ipsis evacuatis saccos suos, ecce unicuique erat צָרוּר כֶּסֶף* ligamen argenti sui (pecunie sua) in sacco suo & viderunt את צָרוּרֵיהֶם ligamina pecuniarum suarum Sic Prov. 7. v. 20. צָרוּר ligamen (i. e. crumenâ) argenti tulit in manu sua. Sic Hagg. 1. 6. & qui locat se mercede, locat se mercede אֶרֶץ צָרוּר in ligamen (i. e. crumenam ligatam) pertusum. In sensu metaphorico adhibetur ad designandam conservationem justorum. 1. Sam. 25. v. 29. erit anima domini ligata בְּצָרוּר in fasciculo viventium. Ubi, observante Forstero, Rabbinæ apothecam seu cellarium animarum justorum hoc nomine dici asseverant. Cum itaq; Ecclesia sponsum Amicum ac Salvatorem suum appellet eodem nomine צָרוּר ligamen seu fasciculum, adeoque eundem conferat cum vase aliquo vel receptaculo, in quo pretiosa reponi, asservari, occultari, & latronum violentiæ eximi solent, facile conjicere licet, & secundum analogiam fidei indagare, quid sibi velit metaphora ista. Nimirum humana Christi natura quam ὁ λόγος assumpsit in utero B. Mariæ Virginis, sacculus est & ligamen, quo in arctum, quasi constringebatur cum omnibus divitiis suis æterna ac infinita Filii DEI divinitas. Repositorium illa & templum est, in quo habitat tota plenitudo deitatis corporaliter, Col. 2. v. 9. Sacculus quasi est & crumena quædam, exterius deformis in qua absconditi omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ divini, Col. 2. v. 3. Fasciculus est, cui adeo arctè illigati divinitatis thesauri, ut impossibile fuerit ab ullo hostium eos eripi, impossibile enim erat teneri illum à morte, Act. 2. v. 24. Repositorium est & vasculum, in quo tanta solationum, refrigerii & salutis animarum abundantia, ut de plenitudine ejus omnes accipiamus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16. dicitur in ipso in omni verbo & in omni scientia, ita ut nihil nobis desit in ullo dono. 1. Corinth. 1. v. 5. 7.

A 3

IV. Myr-

IV.

Myrrhæ) hebr. מִרְרָה cum ה' emphatico, ut intelligatur, myrrham non vulgarem, sed planè singularem, & quæ similem non habeat, indigitari. Cæterum vox ipsa מִרְרָה (quam ab amaritudine dictam quidam volunt ob verbum מִרְרָה ad quod hanc reducunt) non arborem modo myrrhinam notat, quæ in Arabia nascitur, teste Plinio l. 12. hist. nat. cap. 15. 16. Sed & odoratum gummi seu lachrymam è cortice arbusculæ inciso defluentem, adhiberi à veteribus solitam tum ad suffitum, tum ad vulnera sananda, tum ad putredinem præcavendam. Hæc posterior significatio frequens est in sacris literis, inque ipso sacro hoc epithalamio. Sic enim Ecclesia cap. 3. 6. dicitur *suffumigata מִרְרָה myrrhâ*. Sic ipsa dicit cap. 6. v. 1. *decerpsi myrrham מִרְרָה meam*, & v. 5. *manus meæ stillaverunt מִרְרָה myrrham, & digiti mei עֵבֶר מִרְרָה myrrham transeuntem, ad cardines pessuli*. Sic de Sponso dicitur c. 5 v. 13. *labia ejus tanquam lilia, stillantia מִרְרָה מִרְרָה myrrham transeuntem*. Sic DEUS ad Moysen ait: *Cape tibi aromatum præcipuum מִרְרָה מִרְרָה myrrham libertatis*, i. e. libere fluentem. Exod. 30. v. 23. sic Joh. 19. v. 39. de Nicodemo refertur, quod ad sepulturam Christi ejusque corpus examine (quæ fuit sancti istius imbecillitas seu judicii infirmitas) à corruptione præservandum attulerit myrrham cum aliis aromatis. Si hæc conferantur cum apertis scripturæ testimoniis, in quibus doctrina salutaris de mediatorio Christi officio proponitur, facile erit invenire, quo respexerit Spiritus Sanctus mentione myrrhæ hoc loco. Nimirum tam gratum odorem in suffimentis veterum myrrha non edidit, quam grata fuit DEO mors & passio Christi, *tradentis se ipsum oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis*, Eph. 5. v. 2. tam salutaris non erat myrrha in curandis vulneribus corporis, quam salubris est passio & obedientia Christi ad sananda animæ vulnera, unde *livore ejus sanati sumus*, Esa. 53. v. 5. tam efficaciter myrrha non præservat à putredine, quam salvator noster merito suo præservare nos vult ac potest à putredine & corruptione æterna. Hinc ipse dicit: *Omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum*, Joh. 11. v. 26. & Cap. 8. v. 51. *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*. Imo virtute ejus hoc corruptibile inducet incorruptionem.

nem, & mortale hoc induet immortalitatem, 1. Corinth. 15. v. 53. Cumque non simpliciter myrrhæ mentio hic fiat, sed fasciculus vel legamen myrrhæ appelletur Salvator noster, hinc in sui solatium colligit Ecclesia, quicquid refrigerii, curationis, vel præservationis requiritur ad eripiendum nos ex abyſſo perditionis, ad curandum vulnera animæ, ad procurandam nobis æternam salutem, id omne in Jeſu Crucifixo, in miſero illo, & viribus omnibus (ut videbatur dum in cruce penderet) corpusculo, tanquam in fasciculo quodam inveniri. Enim verò non est in aliquo alio ſalus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, Act. 4. v. 12. quin ipſe poſt hanc vitam erit omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. v. 28.

V.

Dilectus) heb. רַיָּן Convenienter hoc nomine ſponſum & ſalvatorem ſuum appellat Eccleſia. Notat enim 1. amicum, ſicut Lutherus in verſione reddidit. Mein Freund / & reperitur iſta ſignificatio infra c. 5. v. 1. ubi רַיָּיִם amici, ſocii & רַיָּיִם pro iisdem ſumuntur. Reverà Eccleſia in amicitiam Filii D E I venit, poſtquam Salvator & Caput ejus factus eſt. Nec dubitat ea hoc nomine eum alloqui, poſtquam ipſe prior dignatus eſt eam ſic appellare. Dixit enim ad diſcipulos: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, qua ego præcipio vobis, jam non dico vos ſervos, quia ſervus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Joh. 15. v. 14 15. Notat 2. Conſanguineum, ut 1. Sam. 10. v. 15. ubi de patruo Saulis uſurpatur. Adde 1. Sam. 14. v. 50. ita Chriſtus eſt Conſanguineus noſter & frater ſecundum carnem. Quemadmodum pueri communicarunt carni & ſanguini, ſic & ipſe ſimiliter participavit eiſdem. Ebr. 2. v. 14. Unde non confunditur fratres nos vocare, ibid. v. 11. Notat 3. amorem ipſum in abstracto. ut Ezech. 16. v. 8. tempus tuum tempus רַיָּיִם amorum. ita Chriſtus ratione Deitatis ſuæ ipſa charitas eſt, 1. Joh. 4. v. 16. adeo nulla iſtarum ſignificationum huic loco repugnat.

VI.

Meus) in fonte indicatur per ſuffixum ך. Ita autem declarat Eccleſia fidem ſuam in Salvatore, quâ in ipſo ſiducialiter recumbit, ſibi que

sibi que beneficia ejus citra hæsitationem vel diffidentiam applicat, id quod infra cap. 6. v. 2. significantius ita exprimit: *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi, uti xaxa nida vertit Vulgatus. Junius & Tremelius quoad sensum: Ego sum dilecti mei, & dilectus meus meus est.* Ferè ad eum modum, quo Thomas Apostolus ad fidem reductus sensa animi sui declaravit, dicendo: *Dominus meus & Deus meus.* Joh. 20. v. 29.

VII.

Mihi) heb. 17. Iterum est vox fidei, qua suam in Christo fiducialem recumbentiam ulterius explicat Ecclesia, atque indicat, quam grata sibi & suaveolens, quam solatiosa adversus terrores conscientia, quam salutifera adversus pravos concupiscentia humores & æternæ mortis putredinem Salvatoris sui licet myrrha magis amara & acerbissima passio sit. Confer locum Pauli Gal. 2. v. 20. *quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me,* & habebis perspicuè expressum quod sub involucre vel cortice locutionis tropicæ non nihil hic abscondidit Ecclesia tempore Vet. T. Messiam non nisi in umbris ac typis intueri, & hac ratione etiam loqui solita.

VIII.

Inter ubera mea) Hoc desumptum est ex more Veterum, quo virgines inuptæ vel desponsatæ fasciculos florum aut pixides aromatibus refertas à collo ad pectus usque demittebant, sicque inter ubera, sub quibus cor situm est, reponerant, quo videtur respici, Os. 2. v. 2. *auferat adulteria sua de medio uberum suorum,* i. e. idola, quæ gestabat in lunulis ad ubera pendentibus, interprete Sanctio. Ante omnia, quid per ubera Ecclesiæ h. l. designetur, inquirendum est. Interpretes omni exceptione major nobis erit entheus Vates Jesaias qui de uberibus istis cap. 66. v. 10. 11. ita vaticinatus est: *Letamini cum Jerusalem & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudere cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, quia sugetis & satiabimini* 7777 *ab ubere consolationis ejus.* Citra dubium Solatia Evangelica temporibus N. T. uberrimè dispensanda ibidem promittuntur, comparatque Propheta Hierosolymam, id est, Ecclesiam, matri lactanti, fideles verò infantibus ab uberibus matris pendentibus. Ut igitur mater uberibus nutrit & alit infantem: sic Ecclesia quæ est mater omnium nostrum Gal. 4. v. 26. per certa divinitus ordinata media ac organa,

tan-

tanquam per canales quosdam, beneficia Christi seu solatia Evangelica, videlicet remissionem peccatorum gratuitam, imputationem iustitiæ, adoptionem in filios, gratiam Spiritus Sancti & vitam æternam fidelibus dispensat. Quæ verò sint illa media, è Theologia Systematica notum est, nimirum verbum & sacramenta, per ista enim tanquam per ubera cœlestis sapientiæ ac solatii lac, filis suis instillare solet sancta mater Ecclesia. Huc respicit Scriptura, quoties lactis mystici mentionem facit. Hæc ubera fidelibus commendat Apostolus, cum dicit: *Sicut modo geniti infantes rationale & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis.* 1. Petr. 2. v. 2. Adde quæ habet Paulus 1. Corinth. 3. vers. 2. *lac vobis potum dedi & non escam.* item Ebr. 5. v. 12. 13. *vobis lacte opus est, non solido cibo, omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: parvulus enim est.* Ubera igitur sua exponit & in alimoniam liberorum adhibet Ecclesia, quando ministerium verbi & sacramentorum in usu est, unde ministri Ecclesiæ ipsi quoque (aliâ figurâ) patrum seu genitorum titulum accipiunt, dicente Paulo ad Corinthios: *in Christo Jesu per Evangelium vos genui.* 1. Corinth. 4. v. 15. & ad Galatas: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in Vobis,* Gal. 4. v. 19.

## IX.

Commorabitur) hebr. לָלוּ pernoctabit, à verbo לָלוּ pernoctare, hospitari, manere, unde מְלוּן diversorium, hospitium, quæ duo vocabula eleganter conjunguntur Jos. 4. v. 3. *præcipe eis, ut tollant de medio jordanis alveo duodecim lapides, quos ponetis בְּמֵרוֹן אֲשֶׁר בּוֹ תַלְיָנִי בּוֹ* in statione, in qua pernoctaturi estis hac nocte. Propriè igitur hoc verbum designat mansionem seu persistentiam in aliquo loco, quietis capiendæ causa, sicuti Lothus in sermone ad Angelos illud usurpavit, dicendo: *Ecce nunc Domini mei, divertite quæso in domum servi vestri וְלֵיכֹוּ & pernoctate* Gen. 19. v. 2. similiter Rebecca ad Eleazarum: *tum straminis, inquit, tum pabuli multum est penes nos: tum לָלוּ ad pernoctandum locus.* Gen. 24. v. 25. adde Jud. 19. ubi idem verbum sæpius occurrit in ista significatione. Deinceps in latiore significato adhibetur ad describendam stabilem quandam ac perpetuam habitationem seu conversationem. Sic Salomo de fedulo verbi Divini auditore inquit: *Annis, quæ audit increpationem vita, in medio sapientum לָלוּ commorabitur, i. e. perpetuò habitabit*

ac conversabitur. Prov. 19. v. 23. Timore DE I præditus satur  
 commorabitur, h. e. constanter manebit vel perseverabit. Adde  
 Psal. 25. v. 13. *anima* timentis Dominum in bono *pernoctabit*,  
 i. e. perpetuò manebit. Eodemque sensu Ruth dixit ad socrum  
 suam: *quocunque iveris, ibo & ubi pernoctaveris, pernoctabo*, quod  
 Lutherus in vernacula reddidit: *Wo du bleibest/ da bleib ich auch*.  
 Ruth. 1. v. 16. His observatis & cum analogia fidei collatis, faci-  
 le jam judicare licet, quid sibi velit verbum istud in contextu hoc.  
 Nimirum hospitium ac diversorium Christi est Ecclesia, ubi præ-  
 sentem se exhibet, ubi requiescit, juxta illud: *Hæc requies mea in se-  
 culum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*. Psal. 132. v. 14. Nec  
 ad tempus saltem ibi manet, sed perpetuò, juxta illud: *Ecce vobi-  
 scum sum omnibus diebus, usque ad consumationem seculi*. Matth. 28.  
 v. 20. Et notanter dicitur, inter ubera Ecclesiæ commorari, quia  
 præprimis ibi gratiosum sese exhibet, ubi media salutis, verbum &  
 sacramenta juxta voluntatem ejus rectè tractantur ac dispensantur.  
 Hinc dixit ad Israellem: *in omni loco, in quo memoria fiet nominis mei,  
 veniam ad te, & benedicam tibi*. Exod. 20. v. 24. Adde dictum Chri-  
 sti: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eo-  
 rum* Matt. 18. v. 20. Promittit itaque sibi Ecclesia hoc verbo perpe-  
 tuam sponsi vel Salvatoris sui præsentiam & assistentiam, nullatenus  
 dubitans, eum favore, gratia & beneficiis suis semper sibi ad futu-  
 rum esse, eo planè sensu, quo & Psaltes sibi id pollicitus est, dicen-  
 do: *Etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quo-  
 niam tu mecum es: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*.  
 Ps. 23. v. 4.

X.

His ita positis ex Oraculo Salomoneo elicitur. 1. *Humana Chri-  
 sti natura verè ac realiter communicata esse divina natura idiomatica*. Id  
 negavit olim Nestorius, cujus nota vox est; *Ego bimestrem aut trime-  
 stem Deum non agnosco*. item: *Noli gloriari judæe, non Deum, sed ho-  
 minem crucifixisti*: Idem hodiè negant Pontificii. Vid. Bellarminus  
 1. 3. de Christo, cap. 8. & 10. cui titulum fecit: *Ex unione hyposta-  
 tica non fluxisse communicationem Idiomatum realem respectu natura-  
 rum*. Idem negant Calviniani, vide provocantem ad antecessores  
 suos Ursinum, Zanchium, Bezam, Zwinglium, ipsumque insu-  
 per

per Lutherum, personatum Massonium Anat. Univ. Triumph. part. 2. cap. 6. Nos ita argumentamur: *In quocunque medicina, placamentum Jehova, & preservativum à morte aeterna, tanquam in fasciculo colligata sunt, illi verè ac realiter competunt divina idiomata.* Nuda enim ac mera creatura ista nec habet, nec aliis dare potest, ut constat. *At in humana Christi natura omnia ista sunt tanquam in fasciculo colligata.* Ideo enim dilectum ac sponsum suum seu consanguineum Fasciculum myrrhæ appellat Ecclesia, quod in ipso inveniat fidelis anima vulneribus peccatorum sauciata & periculo aeternæ corruptionis obnoxia, quod in myrrha Arabiæ invenire potest corpus vulneratum & morti proximum. At secundum quam naturam Ecclesia Christum consanguineum suum appellat? Non certè secundum divinitatem, ut patet. Ergo secundum humanitatem. *Ergo humana Christi natura verè ac realiter competunt divina idiomata:* Si ei competunt, ergo vel per naturam, vel per communicationis gratiam. Non per naturam, ut notum est. Ergo per communicationis gratiam. Hæc est illa *ὁπερὶ φωνῆς, θείας, ἀπὸ θεοῦ, μετὰ δόξης καὶ μελοχῆ θείας ἐξουσίας, βελιώτης, θεοποιήσεως.* &c. quana prædicant Græci Patres in libris suis. A Patribus Latinis vocatur *communicatio Majestatis, transformatio assumpta natura in divinam gloriam & operationem, provectio naturæ humana &c.* Vid. Gerhard. L. IV. de persona Christi, ubi & testimonia Patrum adducit, quibus eadem veritas asseritur v. gr. Cyrilli l. 8. thesauri cap. 1. *Altissimus Filius semper est ut Deus, exaltatur ut homo; nullius rei indiget ut Deus, & tamen multa ut homo accipit. Natura humana proprium est à Deo accipere, ut homo igitur per gratiam à Deitate accipit, quæ ut Deus naturaliter habet. Quare à se quoque ipso, ut à Deo ipsemet accipit, ut homo. Nam si omnia Pater per Filium facit, necesse est credere, quod ipse sibi exaltationem dedit & gratiam Patris Deificato assumpto templo. Gratia igitur ipsi ut homini accidit & exaltari dicitur propter carnem.* lib. 6. Dial. de Trin. p. 127. *Secundum naturam sanctus est ut Deus, sanctificatus autem nobiscum ut homo proprio Spiritu suum ipse templum innuens.*

XI.

II. *Christum esse unicum Redemptorem, mediatorem ac salvatorem nostrum.* Ab hac veritate abeunt Papistæ, partim dum Christo Mariam Deiparam in negotio redemptionis nostræ affociant, id quod vel

ex foliis Caroli Scribanii, Regentis Jesuitarum Antverpiensium, versificulis apparet, in quibus dubitans, an refocillandus ad Christi vulnera, an Mariæ ubera confugeret, ita cecinit:

*Hæcolac inter meditando interque cruorem,*

*Inter delicias uberis & lateris.*

*Et dico (si forte oculos super ubera tendo)*

*Divaparens, mamma gaudia posco tue.*

*Sed dico (si deinde oculos in vulnera verto)*

*O Jesu, lateris gaudia malo tui.*

*Rem scio; prensabo, si fas erit, ubera dextrâ:*

*Lavâ prensabo; vulnera, si dabitur.*

*Lac matris miscere volo cum Sanguine Nati;*

*Non possem Antidoto nobiliore frui.*

partim dum præter Mediatorem Christum, omnes quoque Sanctos cum eo in cælis triumphantes Mediatores constituunt, partim dum propriis operibus æternam salutem acquirere se posse arbitrantur. Nos ita colligimus: *Cui soli tribuitur ab Ecclesiâ elogium, quod ipsi sit fasciculus myrrha, ille est unicus Redemptor, Mediator ac Salvator noster.* Conexio manifesta est, quia fasciculus myrrhæ juxta superius dicta respectum habet ad curam animæ, & cum Ecclesiâ de sui Redemptione ac salvatione sufficienter informata sit, igitur quem illa pro suo Salvatore ac Redemptore & Mediatore non agnoscit, nec talis à nobis habendus est. *At non nisi Christo θεῶν ἑὸς ἑὸς Ecclesiâ hoc tribuit elogium.* Neque enim ullo Scripturæ testimonio ostendi potest, quod alius quispiam in communionem istius elogii veniat, quin potius aperte testatur Sp. Sanctus, quod in nullo alio salus, nec aliud nomen sub cælo datum sit hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4. v. 12. Ergo Christus θεῶν ἑὸς ἑὸς est unicus Redemptor, Mediator ac Salvator noster. Frustranea est Papistarum distinctio inter Mediatorem Redemptionis & intercessionis, partim quia non nisi unius Mediatoris mentio fit in loco classico: *unus mediator DEI & hominum.* 1. Tim. 2. v. 5. partim quia idem mediator unâ insignitur titulo Redemptoris, dantis semetipsum redemptionis pretium pro omnibus. v. 6. ut pateat, in quem non cadit officium redemptionis, eum nec titulo Mediatoris dignum esse; partim quia qui est Mediator intercessionis hoc ipso supponitur esse Mediator Redemptionis, cum inter-

intercessio mediatoria satisfactione & merito Redemptoris niti debeat, juxta illud: *quis est, qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imò verò, qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dexteram DEI, qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 8. v. 34.

XII.

III. *In Christo esse veram naturam humanam, nobis consubstantiali-  
lem, in tempore ex sanguinibus Mariae virginis per miraculosam Sp. Sancti  
in mundum productam, atque à Filio Dei in unitatem personae assumptam.*  
In hoc puncto adversarios habemus post veteres Marcionitas, mo-  
dernos Wigelianos, qui Christum non ex terra, sed ex caelo, non  
ex Adamo, sed ex substantia Sp. Sancti esse affirmant. Verba Wigelii  
part. 1. Post. pag. 212. *Ist Christus seines Leibes Heyland und wir  
seyn aus seinem Fleisch und Gebein / so folget / daß er sein Fleisch und  
Blut nicht von der Erden aus Adam habe / sondern vom Heiligem  
Geist aus dem Himmel in der Jungfrauen refert B. noster Thum-  
mius impiet. Wigelian. err. 36. p. 87. Nos ita concludimus: Qui  
est consanguineus Ecclesiae ex meritis hominibus constantis, ille est verus ho-  
mo, ejusdem naturae cum hominibus. Aliàs enim consanguineus eorum  
dici non posset. At Christus est consanguineus Ecclesiae, ut patet ex  
voce יישיׁׁׁ qua eum alloquitur. E. Christus est verus homo ejusdem  
naturae cum aliis hominibus, ac proinde naturam suam humanam non  
ex caelo, sed ex Adamo, non ex substantia Sp. Sancti, sed ex sangui-  
nibus B. Mariae Virginis assumpsit. Unde Angelus ad Mariam di-  
cebat: quod ex TE (Maria) nascetur sanctum, Filius DEI vocabitur.*  
Luc. 1. v. 35.

XIII.

IV. *Fidem in Christum non absolvi notitia historica, aut nudo  
assensu, sed insimul involvere fiduciam, h. e. receptionem seu apprehen-  
sionem meriti Christi appropriativam.* Adversarios in hoc dogmate  
habemus plurimos. Sociniani, & qui hos sequuntur in plurimis,  
Arminiani, fiduciam in meritum Christi pro commento habent, ac  
proinde formam fidei dicunt esse obedientiam seu mandatorum  
Christi observationem. Socin. part. 4. de Servat. Remonstrant.  
Conf. cap. 11. n. 2. Apolog. Conf. p. 110. seqq. Schwencfeldiani  
& Weigeliani fidem non fiduciam, sed ipsummet Christum esse,  
imò ipsam DEI essentiam, nugantur. Schwencf. Instit. de Verbo,

B 3

Wigel.

Wigel. part. 1. Post. p. 175. Pontificiorum doctrina est, fidem justificantem non esse fiduciam, sed nudum & simplicem assensum, nullumque scire posse certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum Concil. Trid. *Seß. 6. c. 9. & Can. 12.* Nos pro veritate sic concludimus: *Uti se habet fides totius Ecclesie, ita se habet fides singulorum.* Connexio patet, quia Ecclesia nihil aliud est, quam cœtus fidelium seu congregatio sanctorum, ut constat ex Symbolo Apostolico. Unde quoad hoc punctum eadem est ratio singulorum, quæ est omnium. Et quæ fide Filii DEI vivunt omnes, eâ singuli vivunt. *Atqui ita se habet fides totius Ecclesie ut dicat immotam cordis fiduciam seu apprehensionem Christi appropriativam.* Id quod patet ex emphatica voce *MIHI*. Non enim dum fidem suam declarare vult Ecclesia, tantummodo dicit: Scio vel credo fasciculum myrrhæ esse dilectum meum, sed notanter ita sese explicat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus MIHI*, planè eodem modo uti singuli credentes testati sunt, fidem suam esse immotam cordis fiduciam, qua in Christo tanquam Redemptore & Salvatore suo recumbant. v. g. Paulus dicens: *Christus dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME*, Gal. 2. v. 20. *plane persuasum est MIHI, neque mortem, neque vitam posse nos separare à Charitate illa DEI, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* Rom. 8. v. 38. 39. *reposita est MIHI corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus iudex.* 2. Tim. 4. v. 8. Ergo & Fides singulorum ita se habet, ut dicat immotam cordis fiduciam, seu apprehensionem Christi appropriativam.

XIV.

V. *Verbum & Sacramenta tum in Veteri, tum in Novo Testamento esse efficacia gratiæ evangelicæ offerendæ & conferendæ media.* Controversia hic nobis est cum Pontificiis, Calvinianis, Arminianis, Socinianis, Anabaptistis, Schwenckfeldianis, Wigelianis. Pontificii contendunt, cum Stapletono, Scripturam Sacram esse literam mortuam, & de V. T. sacramentis asserunt, ea non fuisse efficacia gratiæ offerendæ & conferendæ media. Vid. Bellarminus l. 2. de Sacram. c. 14. ubi probare intendit, sacramenta vetera non justificasse. Calviniani verbo evangelico vim vorticordiam derogant, docentes, licet Sp. Sanctus in vocatione efficaci, quam vocant, non agat sine verbo, non posse tamen simpliciter à verbo, vel per


per verbum à viris Dei propositum effici, nisi ad verbum accederet vis interna Spiritus à verbo distincta, immediate in animam operans, cujus interventu extrinsecus menti propositum ab ea cum fide recipiatur. Sacramentorum verò formam internam seu essentialem in *verbo* & analogia signi ad rem signatam collocant, ut notum est. vid. Maref. System. Loc. ult. th. 19. Sociniani Verbum aures tantum ferre nec ultra progredi, asserunt. De sacramentis verò pronunciant, ea non esse media conferendæ vel augendæ fidei nostræ, sed tantum confessionis nostræ notas ac tesseræ. Arminiani verbo non aliam efficaciam tribuunt, quam moralem. De sacramentorum verò efficacia, more suo, dubitanter loquuntur. Anabaptistæ, Schwenckfeldiani, Wigeliani, quos sequuntur moderni Fanatici à Jacobo Böhmi dicti Böhmistæ, dum immediatis revelationibus inhiant, de verbo & sacramentis satis contemptim sentiunt. Nos pro asserto orthodoxo ita concludimus: *Quæ se habent in nutritione ac refectione Ecclesiæ instar uberum, illa sunt efficacia gratiæ evangelicæ offerendæ & conferendæ media.* Nemo dubitat, quin ubera matris non saltem significant nutrimentum infantis, sed & realiter contineant & efficaciter exhibeant. Itaque quæ spiritualiter isto modo se habent, spiritualem quoque alimoniam continere, offerre ac conferre debent. *Atqui Verbum & Sacramenta tum in Veteri tum in Novo Testamento ita se habent,* juxta locum præsentem superius expositum. Cum enim una eademque Christi Ecclesia sit, tam in Veteri quam in Novo Testamento & uno eodemque modo, nimirum per Verbum & Sacramenta, ea nutrita, conservata & indes recreata sit à Salvatore suo, nulla ratio apparet, quare sermo Ecclesiæ hinc de uberibus suis, vel ad Vetus vel ad Novum Testamentum tantum restringendum sit. Ergo Verbum & Sacramenta tum in Veteri, tum in Novo Testamento sunt efficacia gratiæ Evangelicæ offerendæ & conferendæ media.


XV.


VI. *Notas veræ Ecclesiæ principales & essentielles esse puram Verbi divini predicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem,* h. e. si quis scire velit, an hic vel ille cœtus verè sit domus Dei, seu Ecclesia, ei inquirendum esse, an verbum Dei sincere ibi prædicetur & sacramenta legitime administrantur. Cum enim Ecclesia verbo Dei & Sacramentis, tanquam maternis uberibus, ut modo visum, con-

confervetur, alatur, sustentetur, dubitare non licet, quin Sincera verbi prædicatio & rectus Sacramentorum usus sint genuinæ ejusdem notæ. Adversarios hic rursus habemus Pontificios. Vid. Bellarminus *l. 4. de Ecclesia, cap. 2.* ubi notas istas admodum exagitat. Nos ita concludimus: *Ibi est vera Ecclesia, ubi Christus commoratur & commorabitur, seu gratiam suam dispensat & porro dispensare promissit. Concipere enim Christum gratiose præsentem & operantem absque Ecclesia, est concipere eaput absque corpore, sponsum absque sponsa, incolam domus absque domo, Regem absque regno. Atqui inter ubera Spiritualia, h. e. ibi Christus commoratur & commorabitur, ubi Verbum sincere prædicatur, & Sacramenta legitime administrantur. Hæc enim ubera esse, quibus sancta mater Ecclesia liberos suos alit & sustentat, supra ostendimus. Ergo inter ubera spiritualia seu ibi est Ecclesia ubi verbum sincere prædicatur, & Sacramenta legitime administrantur. Vel sic: Ubi sunt ubera Ecclesia, ibi est ipsa Sancta mater Ecclesia. Quam enim absurdum esset, concipere matrem Ecclesiam sine uberibus, tam absurdum esset concipere ubera sine Ecclesia. At ibi sunt ubera Ecclesia ubi verbum sincere prædicatur & Sacramenta juxta institutionem Christi dispensantur. Hæc enim ubera esse, quæ sibi tribuit Ecclesia, jam sæpius dictum est. Ergo ubi verbum sincere prædicatur, & Sacramenta juxta institutionem Christi dispensantur, ibi est sancta mater Ecclesia. Applicando hæc ad Ecclesiam, quam vocant, Lutheranam, cujus Fides in Augustana Confessione declarata est, facile est demonstrare, eam, licet hodiernæ Ecclesiæ Romanæ contradicat, non tamen esse hæreticam, non à corpore Catholicæ seu universalis Ecclesiæ avulsam, non cœtum malignantium, uti hostes veritatis divinæ calumniantur, sed veram ac sanctam Dei Ecclesiam. h. e. cœtum, in quo generantur Deo filii & filiæ. Argumentamur enim eodem modo: Ubicunque sancta mater Ecclesia ubera sua exponit & porrigit, ibi generantur & aluntur Deo filii & filiæ, adeoque vera ibi est DEI Ecclesia. Atqui in cœtibus Lutheranorum Ecclesia ubera sua exponit & porrigit. Ergo ibi generantur & aluntur Deo filii & filiæ, adeoque vera ibi est Dei Ecclesia. Minor probatur, quia verbum DEI sincerum ibi prædicatur, & duo N. T. Sacramenta indubitato talia, Baptismus & Cœna Domini, juxta institutionem Christi ibi dispensantur, quod adeo manifestum est, ut testes habeamus ipsos recentiores in papatu Scriptores*


Theologos.











the scale towards document

*sanguine Domini* Latina lingua conscri-  
ptissima extant Criticorum judicia. Re-  
liter vindicant *Bertramo*. Vid. *Rivetum*  
D. *Cave* ( $\delta$ ), *Paul. Colomesium* ( $\epsilon$ ) &  
ex Doctoribus Romano-Catholicis as-  
sumunt *Bertramo*, haud intrepidè tamen hæ-  
resimulant. Alii non solum librum il-  
lumant, ( $\zeta$ ), sed etiam supposititium  
novo in varias scinduntur partes, & in  
eo ejus autore nequeunt convenire. Si-  
cut *Job. Oecolampadio*, Germanicè  
*de Marca*, quem autorem operis (Ca-  
prohibitorum Romæ inserti) de *Con-*  
*stitutione Imperii*, seu *de libertate Ecclesie Gal-*  
licæ plurimum Reverendus idemque *Wol-*  
*fgangus Diekmannus* ( $\eta$ ), quamvis, ut ipse anno-  
tavit in *Ephemeridum* placeat autor *Doctis-*  
*simus aluzius* ( $\iota$ ) à συγχρόνῳ *Ber-*  
*engario Scoto*, quem nonnulli pudenda  
nomen *Dunsio Scoto*, *Doctore* cognomento  
floruit, confundunt ( $\kappa$ ), confectum  
habuisse *Berengarium*, ejusque sectato-  
rem *Parisensis*, *Canonice Regul. S. Au-*  
*gustini Boileau* Socius *Sorbonice* præter  
caetera *tionis Doctores*, genuinum *Ratramni*  
*tionis doctrinæ* non adversum esse, per-  
cipimus. Nos de libelli ejus dogmatibus aliis  
non asserere *Bertramo*, moti cum primis  
monio & consensu. Conf. *Colomes.* ( $\nu$ )  
*ipsius* ( $\xi$ ) & nostrum Dn. D. *Læ-*

B

(α) l.c.